

DE ORDINE CARITATIS
INTER PROPRIAM ALTERIUSQUE VITAM
IUXTA THEOLOGOS FRANCISCANOS SAEC. XVII(3)

CAPUT II

SENTENTIA AUCTORUM

VITAM ALTERIUS PROPRIAE PRAEFERRE PROHIBENTIUM

Sententia Auctorum vitam alterius propriae praeferre permittentium exposita examinataque, remanet ut consideremus hanc alteram sententiam id prohibentium; quam similiter in duobus articulis explanamus.

Art. I. EXPOSITIO SENTENTIAE

Patroni huius sententiae sunt: Sporer, Brancati et Hermann, quibus aliquomodo accedit Marchant. Iamvero, iuxta eos, ordo caritatis exigit ut quisque, quoad bona tum spiritualia cum corporalia, ceteris paribus, se ipsum magis et prius quam alterum diligat, seu diligere debeat. Proinde illicitum est pro Sporer vitam alterius propriae praeferre, seu propriam vitam corporalem et quidem certo periculo exponere ob solam vitam corporalem alterius.¹⁸² Similiter tenet Brancati regulariter non esse licitum, ceteris paribus, corpus proprium pro corpore proximi periculo exponere,¹⁸³ neque Hermann aliter asserit.¹⁸⁴

¹⁸²P. Sporer, o.c., tom. I, p. 480b: 'Contra tamen: Non solum neminem teneri, sed neque licere corporalem vitam exponere, vel amittere ob solam vitam corporalem amici, post D. August. cit. docet communis Recentiorum, post Navar. aliis citt. Laym. cit. c. 3 n. 4. Ratio est: quia si virtus, et ordo caritatis dictat, ut propriam quis praeferat alienae, ut omnes concedunt, sequitur nullam virtutis, et honestatis rationem esse contrarium agere, et sic ruit fundamentum oppositae sententiae. Dixi autem: Pro sola vita corporali. Licebit enim vitam exponere corporalem pro vita corporali proximi, si eius morti annexa esset mors spiritualis animae'.

¹⁸³L. Brancati, o.c., tom. IV, p. 153a: 'Dico 6. regulariter loquendo, non est licitum, caeteris paribus, exponere se periculo cruciatuum, et mortis, pro salvanda vita, vel arcendis proximi cruciatibus, aliquando tamen ex divina inspiratione licitum est'.

¹⁸⁴A. Hermann, o.c., tom. II, p. 211b: 'An liceat se pro alio morti offerre? Suppono hoc licitum esse, si ille alius sit talis, a quo dependet publicum bonum, ut si v.g. esset princeps, aut aliqua alia persona Reipublicae valde necessaria.

Hi Auctores adhibent tantum terminum *vitam exponere* vel eam periculo exponere, neque loquuntur de 'mori pro alio', 'morti se exponere' aut 'morti seipsum tradere' etc.; neque distinguunt 'exponere se periculo certo aut *probabili*', vel 'morti *certae* se tradere', ratio probabiliter est quia verbis 'ceteris paribus' iam subintelligunt quod agitur heic de pari necessitate, ideoque sufficit eis adhibere terminum genericum; ceterum practice difficile erit scitu quando subsit mors certa aut probabilis, agendo praesertim de casibus, in quibus causae sunt liberae.¹⁸⁵ Deinde in solo Sporer notamus illud 'pro *sola* vita amici', in aliis vero Auctoribus id deest verbaliter, sed, cum asserant quod res considerari oportet ceteris paribus, id relinquunt subaudiri. Quod vero Brancati illo 'regulariter' excludere voluerit casum divinae inspirationis dignum est notatu, quia optime fieri potest casus exceptionalis, quo ex. gr. facta heroica nonnullarum personarum virtuosarum explicantur.¹⁸⁶

Fortasse summi momenti est pro istis Auctoribus subsignare illud 'ceteris paribus', nempe quando cetera sunt paria, si ex parte ipsius diligentis et dilecti bonum eiusdem ordinis attendatur, aliis semper sepositis circumstantiis, ut notabilis inaequalitatis, alterius virtutis vel etiam excellentioris caritatis,¹⁸⁷ heroicae caritatis,¹⁸⁸ divinae inspirationis¹⁸⁹ et boni communis.¹⁹⁰ Ceterum isti Auctores pro sua thesi sustinenda bene poterant influxum subire ex illo nostri Halensis quod propria vita corporalis, relate ad animam, plus quam alterius diligenda est.¹⁹¹

Art. 2. EXAMEN ARGUMENTORUM

Patroni huius alterius sententiae similiter recurrunt ad argumenta auctoritatis et rationis pro sua thesi probanda.

Tota ergo difficultas est, an hoc liceat facere pro persona particulari? Dico. Non licet vitam propriam exponere pro vita alterius. Ita Doctor in 3 dist. 29 quaest. unica et in 4 dist. 15 q. 2'.

¹⁸⁵ Cf. A. *Ex philos.* in fine.

¹⁸⁶ Cf. notae 12-6, 160.

¹⁸⁷ Cf. P. Sporer, o. c., tom. II, p. 162a (vid. etiam nota 64).

¹⁸⁸ L. Brancati, o. c., tom. II, disp. 32, p. 764b: 'Dico... heroica vero charitatis signa sunt haec... in effectu agere; vel in efficaci affectu, si desit occasio effectus, et vitam temporalem propriam pro temporali proximi... postponere, ac profundere'.

¹⁸⁹ Cf. nota 183.

¹⁹⁰ Cf. nota 184.

¹⁹¹ Alexander de Hales, *Glossa in quatuor libros Sententiarum* tom. III dist. XXIX (Quaracchi 1954, p. 342): '4. In primo capitulo huius distinctionis dicitur quod 'alius homo plus quam corpus proprium diligendus est'. Contra: plus diligere debeo animam meam quam proximum meum; sed stola secunda est de beatitudine animae; ergo, cum sit in corpore materialiter, plus diligere deberem proprium corpus in relatione ad animam quam proximum'.

I. ARGUMENTA AUCTORITATIS¹⁹²

Eodem modo ac patroni primae sententiae Auctores huius sententiae argumenta sumunt ex S. Scriptura, ex SS. Patribus, ex theologis et ex philosophis.

I. Ex S. Scriptura

Quando agunt de ordine caritatis in genere auctores argumentum potissimum quod ex SS. Litteris sumere consuescunt, est textus Matthaei 22, 39: 'Diliges proximum tuum sicut te ipsum', ex quo inferunt quod quis seipsum plus quam alterum diligere debet. Sed nostri Auctores, quaestionem considerantes in particulari, nempe utrum ordo caritatis dicet alterum alteri praeferre quoad vitam seu corpus, hunc locum Matthaei omittunt, fortasse quia illum supponunt ex capite de ordine caritatis in genere.

Nihilominus hunc textum scripturasticum pro hac sententia explicite revocat Cotonius, nempe pro sententia Scoti asserentis quod ibi proponitur dilectio sui tanquam regula dilectionis proximi; ex quo ceteris paribus non licet homini propriam vitam periculo exponere pro altero.¹⁹³ Ast idem Cotonius pro hac altera sententia id explicat dicens quod utique illicitum est propriam vitam morti certae exponere pro altero privato, minime vero eam exponere periculo cum aliqua spe, seu quod iuxta regulam diligendi, primum prohibetur, non vero secundum.¹⁹⁴

Revera locus Matth. favere videtur huic alteri sententiae et difficultatem facere primae sententiae, ut nonnulli alii auctores id evidenter tenent; nempe amorem sui proponi a Christo ut ideam et mensuram dilectionis proximi non distinguendo de vita spirituali aut corporali, ex eo quod illud 'sicut' pro 'ad similitudinem' seu 'ad imitationem', non vero pro 'ad aequalitatem' intelligi oportet,¹⁹⁵ ideoque, uti mensura potior est

¹⁹² Secundum Lorca (1554-1606) stant patroni etiam gravissimi pro hac sententia (Petrus de Lorca OCist, *Commentaria et disputationes in secundam secundae D. Thomae*, Madridi 1614, p. 718b).

¹⁹³ A. Cotonius, *o. c.*, P. I, p. 70a: 'An liceat pro servanda vita temporali privati? Scotus in 3 d. 29 arg. ad oppos. apud Dianam p. 5 tr. 4 res. 28 negat: quia dilectio sui est mensura dilectionis proximi, dicente Domino Matth. 22: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*'.

¹⁹⁴ Cf. nota 24.

¹⁹⁵ Sic inter alios S. Bonaventura, *In tertium librum Sententiarum d. XXIX a. un. q. III* (3, 939a) imprimis obiectionem ex loco Matthaei refert: '2. Item, Matthaei 22, 39: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*: hoc quod est 'sicut' aut est nota similitudinis aut aequalitatis. Si similitudinis tantum, eadem ratione posset dicere: diliges proximum tuum sicut Deum. Si aequalitatis, ergo non videtur quod sit ordo dilectionis respectu nostri ad dilectionem respectu proximi...'. Ad quod respondet: 'Concedendae sunt igitur rationes ostendentes quod in ordine caritatis praefertur dilectio sui dilectioni ipsius proximi. Et huius signum est,

mensurato, quis se ipsum prius et plus quam alterum diligere debet.

2. Ex SS. Patribus

Potius argumentum sumunt auctores huius alterius sententiae ex Patribus, speciatim ex S. Augustino, qui in libro *De mendacio* ita explicite huic sententiae favisse videretur ut unanimiter eius patroni atque nonnulli etiam adversariorum, validitatem textus augustiniani aperte agnoscant.¹⁹⁶ En verba S. Doctoris:

‘... Quandoquidem si pro illius temporali vita suam ipsam temporalem perdat, non est iam diligere sicut seipsum, sed plus quam seipsum: quod sanae doctrinae regulam excedit.’¹⁹⁷

Probabiliter S. Augustino veniebat in mentem illud saepe a vulgo tanquam rectum habitum, nempe bene ageret homo, qui proximo prodesset etiam mentiendo, saltem in rebus parvi momenti. Hoc adhuc illicitum esse affirmat S. Augustinus, quia sic homo periculo exponeret propriam vitam spiritualem propter proximum, quod regulam dilectionis excedit; sicut regulam sanae doctrinae excedit ille, qui propriam vitam corporalem exponit pro vita corporali alterius.

quia illi reprehenduntur et stulti reputantur qui saltem propriam negligunt ut procurent alienam. Huius etiam signum est, quia, si homo ex caritate deberet diligere proximum quantum se ipsum ita quod esset ibi omnimoda aequalitas, iam duos proximos deberet diligere duplo quam se ipsum, et tres in triplo, et sic ulterius ascendendo; quod in nullo habente caritatem reperiri contingit, quantumcumque perfecto.../ - 2. Ad illud quod obicitur, quod secundum divinum mandatum debet homo diligere proximum sicut semetipsum, dicendum quod ‘sicut’ non est nota perfectae aequalitatis sive commensurationis, sed expressae similitudinis...’. Cornelius A Lapide, o. c., tom. VIII, p. 330b: ‘Omittit hic Christus dilectionem sui ipsius, quia haec omnibus insita est et quasi naturalis, ut si habens erga alios charitatem, illam primo in seipsum exerccas: qui enim sibi nequam, cui bonus? Unde illam hic Christus praesupponit, imo dilectionem sui, statuit ideam et quasi mensuram dilectionis proximi, dicens, *Sicut seipsum amas et diligis*’. E. Müller, *Theologia moralis*, lib. II, p. 102: ‘Regula I. Quisque ordinario debet se magis diligere quam proximum. Probatur I. quia a Christo Domino [Matth. 22, 39] dilectio sui ipsius ponitur tamquam regula dilectionis erga proximum...’.

¹⁹⁶ Patroni huius alterius sententiae textum S. Augustini unanimiter referunt: P. Sporer, o. c., tom. I, p. 480b: ‘Contra tamen: Non solum neminem teneri, sed neque licere corporalem vitam exponere, vel amittere ob solam vitam corporalem amici, post D. August. I. cit. docet communis Recentiorum’. L. Brancati, o. c., tom. IV, p. 153b: ‘Prob. prima pars videtur contra ordinem charitatis, qui exigit ut se prius, et plus quam proximum quis diligat. ergo. Prob. 2. ex August. lib. de mendac. Cons. c. 6 *Si quis...*’. A. Hermann, o. c., tom. II, p. 211b: ‘Probatur auctoritate S. Augustini lib. de mendacio cap. 6 ubi sic ait: *Si quis exponat vitam...*’. Cf. inter auctores primae sententiae F. Pitigianis, o. c., P. II, p. 318a; E. Bassaeus, o. c., tom. I, p. 132a et G. Herzinx, o. c., p. 213a.

¹⁹⁷ S. Augustinus, *De mendacio liber unus* 6 (ML 40, 494).

Textus sic simpliciter propositus videtur difficultatem facere primae sententiae; sed auctores illum explicare conantur pro sua sententia. Dubitant enim utrum illud 'regulam excedit' sumi oporteat pro contra aut praeter regulam ita ut heic habeatur excessus illicitus; alii id intelligunt sensu quo propria vita pro vita proximi exponitur seipsam morti tradendo sive vitam amittendo; iam vero hoc sensu certe id illicitum est, quia homo non est dominus vitae suae,¹⁹⁸ non vero alio sensu quo homo propriam vitam periculo exponat, negative cooperando propriae morti.¹⁹⁹ Alii autem id intelligunt eo sensu quod non cadit sub praecepto propriam vitam exponere pro vita alterius, non vero quod illicitum est.²⁰⁰ Alii tandem id volunt sumere sensu quo utique illicitum est propriam vitam exponere pro altero, si nihil aliud omnino spectetur quam vita pro vita ponatur, hoc enim regulam excedit, non vero si habeatur ibi aliqua causa;²⁰¹ vel etiamsi adsit excessus in illo qui, ceteris paribus, propriam vitam pro altero exponit, huiusmodi tamen excessus erit tantum exiguus, qui sine mortali praetermitti potest.²⁰²

Hoc non obstante, textus augustinianus ita difficultatem facere videtur primae sententiae, ut Soto id expresse fateatur²⁰³ atque nonnulli, ut Vitoria, Aragon et Bañez, de eo sileant.

3. *Ex theologis*

Auctores huius alterius sententiae similiter, post SS. Patres, ad auctoritatem theologorum recurrit, tum affirmando hanc alteram esse sententiam communem recentiorum,²⁰⁴ cum explicite referendo nonnullorum

¹⁹⁸ Ita E. Rodriguez, o. c., P. I, f. 164d: 'illicitum est ob salutem temporalem hominis privati tradere se morti. Haec conclusio est Divi Augustini, quae probatur, quia tenetur homo amare se, & proximum, ita ut non amittat vitam suam, quod homo est dominus suarum rerum temporalium, non tamen est dominus vitae suae'.

¹⁹⁹ E. Rodriguez, o. c., P. I, f. 164c (cf. nota 22).

²⁰⁰ Sic. G. Sayer, o. c., P. I, f. 225: 'S. Augustinus vero tantum vult ibi, quod regulam doctrinae excedit, vitam suam pro alio ponere, cum hoc non sit sub praecepto, non tamen negat esse licitum'.

²⁰¹ Ita inter ceteros I. Azor, o. c., P. II, p. 702b asserit: 'Ad id vero quod ex S. Augustino adferebatur; respondeo, eum id significare voluisse tantummodo, hominem, qui vitam propriam ponit pro amico, magis in hoc diligere amicum, quam seipsum; hoc tamen vitiosum non esse, dummodo bonum gratiae, gloriae, et virtutis sibi ipsi magis velit, et optet, quam amico. Et fortasse S. Augustinus dicere voluit, contra ordinem charitatis facere, qui temere, et vane vitam suam pro amico perdit, non qui perdit, ut amicitiae bonum tueatur, et servet'.

²⁰² F. Suarez, *De caritate*, in *Opera Omnia* tom. XII tr. III disp. IX sect. III (p. 713b): '... ordo charitatis, quando non est magnus excessus, potest praetermitti sine mortali... solum hoc sibi volunt August...'

²⁰³ Cf. nota 128.

²⁰⁴ Cf. nota 182.

nomina, quorum principaliores sunt sequentes: S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Durandus, Navarra et Laymann.²⁰⁵

1) S. Thomas. Etsi iste favisse videatur sententiae vitam alterius propriae praeferre permittenti, ipse tamen habet adhuc textus, qui videntur facere pro hac altera sententia. Etenim, agendo de eleemosyna, duobus in locis nostram quaestionem insinuat, scilicet in commentario in IV *Sententiarum* et in II-II *Summae theologiae*, loquendo vero de homicidio in eadem *Summa* textum producit huic sententiae favorabilem.

(a) In commentario in IV *Sententiarum* affirmat Doctor Angelicus quod esset contra ordinem caritatis dare eleemosynam de necessario necessitate absoluta.²⁰⁶ Nunc quomodo illud 'contra ordinem caritatis' intelligatur et de quanam necessitate proximi agatur, inquirendum est. Vitoria, inter ceteros, asserit S. Thomam verbis 'hoc esset contra ordinem caritatis' voluisse intelligere non de ordine caritatis id praecipiente, sed de ordine conveniente et ad id inclinante; aliunde neque eum explicite locutum fuisse de extrema necessitate proximi, cum optime potuerit ille intelligere quod homo faceret contra ordinem caritatis, si, de necessariis necessitate prima proximo extra extremam necessitatem constituto eleemosynam daret.²⁰⁷

Etsi haec interpretatio Vitoria sit bona, non tamen sibi evicisse videtur sectatores; e contra nonnulli auctores ex prima sententia textum S. Thomae aperte revocant pro hac altera sententia.²⁰⁸

(b) Textus adhuc frequentiores sumuntur ex eodem S. Thoma, et quidem ex eius *Summa theologiae*, in qua duo textus principales inveniuntur scilicet articulus VI quaestionis XXXII et articulus VII quaestionis

²⁰⁵ Inter quos enumeratur etiam Thomas Hurtado CRM (1598-1659), *Tractatus varii solutionum moralium* 2 partes (Lugduni 1651), cuius tamen textum, proh dolor, non potuimus invenire.

²⁰⁶ S. Thomas, *Scriptum super quarto Sententiarum* d. XV q. 11 (tom. IV, p. 678): 'Et ideo dicitur communiter quod dare eleemosynam de superfluo, cadit in praeepto... dare autem de eo quod est necessarium secunda necessitate [conditionata], non autem de eo quod est necessarium necessitate prima [absoluta], quia hoc esset contra ordinem caritatis'.

²⁰⁷ F. Vitoria, *De caritate et prudentia*, pp. 107-8: 'Ad illud *Quarti Sententiarum*, quod esset contra ordinem caritatis, transeat, quia verum est quod convenientissimus ordo caritatis est quod potius servem vitam meam. Ergo est malum: nego consequentiam, quia non semper ille ordo caritatis est in praeepto, ut postea dicemus. Con-/venientissimum esset quod ego me plus diligerem, sed non teneor; et ideo non esset peccatum ponere vitam pro amico'.

²⁰⁸ Sic explicite F. Suarez, *l.c.*, p. 713a: '... ubi divus Thomas [in IV *Sent.*, d. XV] q. 2 a. 1, dicit esse contra ordinem caritatis dare alteri extreme indigenti, id quo ego etiam extreme indigeo'. R. Aversa, *o.c.*, p. 548a-b: 'Et plane S. Thomas q. 32 a. 6 dicens, hominem plus teneri vitae suae providere quam alienae, et in 4/d. 15 q. 2 a. 1 dicens esse contra ordinem caritatis in casu extremae indigentiae praeferre alterum sibi ipsi'.

LXIV, ambo ex Secunda Secundae.

Quod attinet ad primum textum invenimus quid simile ac in illo commentarii in IV *Sententiarum*. Aserit enim S. Doctor quod homo [paterfamilias] non debet, de necessariis necessitate absoluta, eleemosynam alicui privato dare, etsi, ex amore boni communis, possit laudabiliter eam dare personae publicae.²⁰⁹

Hunc textum, quoad partem affirmativam, idem Vitoria duplici suppositione explicat, nempe quod S. Doctor agebat de re, minime ceteris paribus. Nam vel loquebatur de persona publica succurrente personae privatae, vel de persona privata ex utraque parte; si primo casu, patet conclusio Angelici; si vero secundo, adhuc supponi potest vel loquebatur de extrema necessitate ex parte succurrendi vel non; etiamsi ipse affirmaverit, nondum tamen constaret eum locutum fuisse de re, ceteris paribus, sed e contra constat eum asseruisse, ex parte succurrentis de persona, familiae aliisque pro sustentatione corporali necessaria, ex parte vero succurrendi, de simplici privato.²¹⁰

Similiter dicendum est de hoc textu ac pro illo praecedenti.²¹¹

Quod attinet vero ad alteram argumentationem, nempe illam *Summae theologiae* II-II q. LXIV a. VII mens S. Doctoris clarior apparet, quia in eo vita corporalis ex utraque parte expresse asseritur, nempe quod homo debet prius propriae vitae corporali providere quam alienae;²¹² quod ita

²⁰⁹ S. Thomas, *Summa theologiae* II-II q. XXXII a. VI (vol. II, pp. 174b-175a): 'Respondeo dicendum quod necessarium dupliciter dicitur. Uno modo, sine quo aliquid esse non potest. Et de tali necessario omnino eleemosyna dari non debet: puta si aliquis in articulo necessitatis constitutus haberet solum unde posset sustentari, et filii sui vel alii ad eum pertinentes; de hoc enim necessario eleemosynam dare est sibi et suis vitam subtrahere. / Sed hoc dico nisi forte talis casus immineret ubi, subtrahendo sibi, daret alicui magnae personae, per quam Ecclesia vel respublica sustentaretur: quia pro talis personae liberatione se ipsum et suos laudabiliter periculo mortis exponeret, cum bonum commune sit proprio praefendum'.

²¹⁰ F. Vitoria, *De caritate et prudentia*, p. 107: 'Ad hoc dico, tenendo partem affirmativam, quod hoc intelligitur quando non est necessitas extrema aliorum, et ego sum in extrema necessitate, non debeo erogare aliis bona mea. Secus si omnes sumus in extrema necessitate, quia tunc bene possem. Praeterea, quia S. Thomas ibi dicit quod qui de necessariis ad vitam faceret eleemosynam, subtraheret sibi et suis vitam. Unde nos quoque dicimus quod si iste habeat solum necessaria unde sustentetur eius familia, non potest dare eleemosynam de illo. Sed si dando solus ipse detrimentum patiatur, credo quod licet dare amico'.

²¹¹ Cf. id quod paulo prius diximus sub littera a).

²¹² S. Thomas, *Summa theologiae* II-II q. LXIV a. VII (vol. II, p. 319b): 'Et ideo si aliquis ad defendendum propriam vitam utatur maiori violentia quam oporteat, erit illicitum. Si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio: nam secundum iura, vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelae. Nec est necessarium ad salutem ut homo actum moderatae tutelae praetermittat ad evitandum occisionem alterius: quia plus tenetur homo vitae suae providere quam vitae alterius'.

pro hac sententia probat, ut difficultatem facere videatur ipsi etiam Victoria,²¹³ et ut vim probativam eiusdem agnoscant nonnulli adversarii.²¹⁴

Nostri tamen Auctores, perpensis forsitan variis rationibus habitis inter theologos, tum pro cum contra hanc alteram sententiam, mentem Aquinatis interpretari penitus se abinent.

2) S. Bonaventuram huic sententiae favisse in eius commentario in III *Sententiarum* testatur Cotonius.²¹⁵ Iamvero Doctor Seraphicus, loquendo de bono proprio et alterius diligendo, interrogat utrum secundum ordinem caritatis praeponendum sit bonum proprium bono proximi, quasi ex sola ratione bonorum, et respondet quod amor salutis propriae praeferendus est amor salutis proximi. Notamus quod is de salute loquitur simpliciter, neque constat utrum intellexerit de vita corporali aut spiritali.²¹⁶

Evidenter S. Bonaventura disserit heic de ordine caritatis, seu de bonis ordinate diligendis, cuius oppositum est bona praepostere diligere: Ast, quisnam est ordo caritatis pro illo? 'Diliges proximum tuum sicut te ipsum'²¹⁷ et 'Attende tibi et doctrinae'²¹⁸ sunt textus scripturistici qui pro S. Bonaventura ita insinuant dilectionem sui haberi tanquam regulam dilectionis erga alterum ut ordo caritatis a se ipso incipere oporteat. Hoc tamen non obstante, quaerit idem Doctor utrum hic ordo praeposterari possit necne, et respondendo in eadem d. Dub. I distinguit quod est praeposteratio *ex debita causa*, quod facit ad cumulum meriti et quod est praeposteratio *praeter causam debitam*, quod subtrahit meritum et

²¹³ F. Victoria, *ib.*: '... Sed certe nescio quomodo S. Thomas respondeat ad illum locum ubi laudat gentiles, scilicet Pyladem et Orestem ponentes vitam pro amicis'.

²¹⁴ Cf. nota 208.

²¹⁵ A. Cotonius, *o. c.*, P. I, p. 70a: 'An liceat pro servanda vita temporali privati? Scotus in 3 d. 29 arg. ad oppos. apud Dianam p. 5 tr. 4 res. 28 negat... Hanc sententiam tenet novissime Thomas Hurtado de vero mart. res. 63 § 5 et fuit etiam doctrina D. Bonav. eadem d. q. 3 et Durandi in 4 d. 17 q. 6 n. 10'. G. Sayer, *l. c.* idem affirmat (cf. nota 144).

²¹⁶ S. Bonaventura, *In tertium librum Sententiarum* d. XXIX a. un. q. III (in *Opera omnia*, vol. III, p. 644b): 'Respondeo: Dicendum quod secundum ordinem caritatis amor salutis propriae praeponendus est amor salutis alienae, secundum quod auctoritates Sanctorum innuunt manifeste et secundum etiam quod consonat et dictat iudicium rationis rectae et instinctus naturae. Ratio enim huius est, quoniam unumquodque plus appetit perfectionem in se ipso quam in suo simili: et quodlibet pondus plus trahit corpus in quo est ad situm sibi debitum quam trahat aliud corpus illi annexum...'

²¹⁷ Matth. 22, 39.

²¹⁸ S. Bonaventura, *Commentarius in Evangelium S. Lucae* c. VI (7, 162a): 'Debet enim caritas esse ordinata, ut primo intendat sibi et post alii, secundum illud primae ad Tim. quarto: 'Attende tibi et doctrinae. Hoc enim faciens, et te ipsum salvum facies et eos qui tecum sunt'. Cf. 1. Tim. 4, 16.

quod est praeposteratio *contra* debitam causam quod inducit peccatum; homo solum licite et laudabiliter agere potest *ex* debita causa, bonum commune bono privato praeferendo.²¹⁹ Unde ex hoc capite videtur mens S. Bonaventurae favisse sententiae vitam alterius propriae praeferre prohibenti.

Aliunde Doctor Seraphicus quaestionem insinuare videtur respectu illius Ioann. 15, 13 dicens quod signum et effectus caritatis perfectae est mori pro fratre,²²⁰ vel pro alicuius amore,²²¹ aut signum praecipuum caritatis est mori pro amico.²²² Cum in istis textibus nihil sit explicitum utrum consulendum sit vitae spirituali aut corporali proximi seu amici, interpretari licet saltem S. Bonaventura, cum loquatur de proximo aut de propria salute in genere, nempe de bono unius bono alterius praefereendo, bene potuisse intelligere, ut bonum spirituale unius bono spirituali, a fortiori corporali alterius seu proximi, aut etiam ut bonum corpo-

²¹⁹ S. Bonaventura, *In tertium librum Sententiarum*, ib. Dub. I (3, 652a): 'Respondeo: Dicendum quod quaedam est praeposteratio huius ordinis ex debita causa, quaedam praeter causam, quaedam contra debitam causam. Tunc est praeposteratio ex debita causa, quando quis bonum commune praeripit bono proprio in temporalibus; et haec quidem praeposteratio facit ad meritum cumulum, et licet videatur praeposteratio, multo magis est perfectior ordinatio. Alia est praeposteratio praeter causam debitam, uti si ex sola liberalitate voluntatis meae magis me exhibeam alicui extraneo quam domestico et consanguineo et etiam patri meo, considerando in ipso aliquam strenuitatem magis quam Dei voluntatem aut meriti dignitatem; et haec praeposteratio aufert meritum, quia in hoc non meretur. Tertia vero est praeposteratio contra debitam causam, utpote si pater meus magis indigeat et ego possim ei subvenire, et, ipso neglecto, subventionem extraneo; et ista inducit peccatum et de hac intelligitur auctoritas Magistri in littera'.

²²⁰ S. Bonaventura, ib. Dub. V (3, 654a): 'Respondeo: Dicendum quod *signum* perfectae caritatis et *effectus* est promptitudo moriendi pro fratre; ista tamen promptitudo non inest caritati solummodo ex dilectione fratris, sed ex dilectione fratris relata ad dilectionem Dei, quem perfectus propter se et super omnia diligit et ob cuius amorem etiam pro ipso fratre vult mori'.

²²¹ S. Bonaventura, *Apologia pauperum* c. IV (8, 253a): 'Ubi igitur perfectus est amor, ibi et perfecta diffusio vel actu, si opportunitas adest, vel si non adest, saltem desiderio pleno. Cum igitur traditio sui in mortem pro alicuius amore sit diffusionis permaximae, necesse est perfectum caritatis amorem ad id aspirare, iuxta quod dicitur in Ioanne: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*'.

²²² S. Bonaventura, *Commentarius in Evangelium Ioannis*, c. XV (6, 451b-452a): 'Quaestio II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Contra: 1. Ex parva caritate alius facit, alius ex maiori potest mori pro amico; quid est ergo, quod dicit *maiolem*? / 2. Item, in patria erit multo maior caritas, quam sit in via; quid est ergo, quod dicit *maiolem caritatem* etc.? Respondeo, quod hoc non dicitur quantum ad *habitus* caritatis, vel *actum eius praecipuum*; sed quantum ad *signum* vel *effectum*, quia hoc est praecipuum signum dilectionis'.

rare unius bono spirituali coniunctum, solo corporali alterius praeferatur. Ceterum hoc confirmari potest etiam textibus eius citandis, nempe de obligatione proximum, in articulo extremae necessitatis constitutum, eripiendi²²³ et de exemplo Christi suam vitam pro salute nostra ponendi.²²⁴

3) I.D. Scotus allegatur ab Hermann pro hac sententia sustinenda tum ex commentario in III *Sententiarum* cum in IV *Sententiarum*. Etenim Doctor Subtilis in primo loco iuxta Hermann asserit ordinem caritatis obligare ut homo prius et magis se ipsum quam alterum diligat, quod confirmatur in loco IV *Sententiarum* in quo Scotus, iuxta eundem Hermann, tenet illicitum esse propriam vitam ponere pro vita alterius privati.²²⁵

Re quidem vera Scotus in commentario in IV *Sententiarum* absolute sententiam pronuntiat dicens caritatem ita debere esse ordinatam ut homo rem alienam, etsi extreme sibi necessaria sit, domino restituat, quia caritas ordinata cum iustitia currere, non vero ei contraire, oportet; ita ut homo magis conservationem *iustam* vitae proximi diligere debet.²²⁶

²²³ S. Bonaventura, *Commentarius in Evangelium Ioannis* c. X (6, 388b-389a): 'Quaeritur de hoc quod dicit: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*. / Ex hoc videtur 1. quod *praelatus* teneatur mori pro subditis. *Sed contra*: Pati martyrium est supererogationis; sed ad opera supererogationis nullus tenetur, nisi voto se adstrinxerit: ergo videtur, quod *praelatus* ad hoc non teneatur. 2. Item videtur, quod *omnes* teneantur ad hoc; primae Ioannis tertio: *Nos debemus pro fratribus animas ponere*. Respondeo: Dicendum, quod *mori* pro grege dominico potest esse tripliciter: aut pro ipso *de bono in melium promovendo*, et sic est *supererogationis* quantum ad *omnes praelatus*; aut pro ipso *ab imminente periculo liberando*, et sic tenetur quilibet *praelatus*, quia suscepit curam gregis dominici, et *de manu eius requiretur sanguis* [Ez. 3, 18]; aut pro ipso *in extremae necessitatis articulo constituto*, quod non potest evadere damnationem, nisi homo se morti exponat; et sic dico, quod est *necessitatis quantum ad omnes*'.

²²⁴ S. Bonaventura, *ib.* (6, 434a): 'Et *modus diligendi* exprimitur: *Sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem*. Ipse autem sic dilexit, ut magis diligeret salutem nostram quam vitam suam; sic unusquisque magis animam proximi quam corpus suum' (cf. I Ioann. 3, 16).

²²⁵ Cf. A. Hermann, *o.c.*, tom. I aphor. V tr. IV disp. II q. IV, p. 231a: cf. etiam nota 184.

²²⁶ I.D. Scotus, *Quaestiones in quartum librum Sententiarum* d. XV q. II (18, 255b) refert imprimis obiectionem dicens: 'Item, quilibet tenetur magis diligere se quam proximum, secundum illud Cant. 2 *Ordinavit in me charitatem*: ergo quando restitutum est sibi ipsi damnosa, ut si est in extrema necessitate, tenetur magis illud sibi retinere, quam ex dilectione alterius alii restituere'. Et respondet: 'Et si arguas, quod magis debet quilibet se diligere quam proximum, et per consequens, magis vitam suam corporalem quam vitam proximi, et per consequens, istam rem simpliciter necessariam sibi magis retinere quam dare proximo; respondet, magis debet diligere vitam suam ordinate, ut est diligibilis ad vitam aeternam, et ita magis conservationem justam vitae suae, quam conservationem justam vitae proximi, sed non magis conservationem injustam vitae suae, quam conservationem justam vitae proximi... Cujus ratio est, quia dilectio vitae corporalis injuste custoditae, non est dilectio ordinata, quia non est ad dilectionem animae, nec Dei'.

Nihilominus Subtilis hic loquitur tantum de obligatione propriam vitam proximi anteposendi, non autem dicit explicite utrum homo possit id agere aut non, cum accedat alia motiva. Hoc non obstante Scotus videtur favisse huic alterae sententiae, eo quod absolute affirmat hominem debere magis diligere propriam vitam quam alterius.

4) G. Durandus pro hac altera sententia a Pitigianis et Cotonio²²⁷ adducitur. Durandus enim in commentario in III *Sententiarum* asserit quemlibet se ipsum plus quam amicum diligere debet, etiam quando pro eo multa pati et mori oporteat;²²⁸ hoc est, ut postea asserit ipse in commentario in IV *Sententiarum*, quod homo facere debet id quod pertinet ad rationem amicitiae, etiamsi ex hoc propria mors sequatur, non autem mortem propter amicum oppetere.²²⁹

Etsi Durandus in priori textu favisse videatur primae sententiae, difficile est tamen dictu quid reapse sibi voluerit; probabiliter, ut tenent iidem Pitigianis et Cotonius,²³⁰ quod non licet homini propriam vitam exponere morti certae aut periculo certo, licet tamen eam exponere peri-

²²⁷ F. Pitigianis, o.c., P. II, p. 318a: 'Hoc supposito de hac quaestione est duplex modus dicendi; Primus est Durandi in 4 d. 17 a. 6 qui tenet nunquam esse licitum exponere certo periculo vitam propriam ad tuendam vitam amici, bene tamen quando est spes evadendi periculum'. Cf. nota 215.

²²⁸ G. Durandus, *Commentarius in III librum Sententiarum* d. XXIX a. un. q. II (pp. 593b-594a): 'Unde non est verum quod aliqui dicunt quod quando Arist. dicit quod studiosus exponens se pro amicis, vel patria vult sibi maximum bonum, et ita maxime diligit se, quod ibi non fit comparatio dilectionis qua homo diligit se uno modo ad dilectionem qua diligit se alio modo. Et est sensus quod homo exponendo se morti pro bono communi magis diligit se hoc faciendo, quam faciendo oppositum vel quodcumque aliud. Istud enim non est verum, imo fit prima comparatio et non secunda / ut patet ex ordine textus... ergo plus debet quis diligere bonum virtutis sibi quam communitati. Quod si exponat se pro communitate, hoc est tribuendo communitati minus bonum, scilicet bonum corporale, sibi autem maius bonum, scilicet bonum virtutis... constat quod quilibet debet diligere se plusquam amicum. Et tamen sicut dicit Philosophus 9 Ethic. oportet pro amicis multa pati et mori si oporteat, ergo ex hoc quod aliquis exponit se morti pro alio non sufficienter arguitur quod diligit alium plusquam se, quicquid sit illud sive persona privata, sive res publica...'

²²⁹ G. Durandus, *Commentarius in IV Sententiarum* d. XVII q. VI (p. 764b) relata obiectione '2. Item nono Ethic. dicit Philosophus, quod oportet pro amicis multa pati, & mori si oporteat, sed plus tenetur aliquis diligere communitatem quam privatos amicos, ergo pro bono communi debet homo eligere mori si necesse est...', asserit: '12. Ad secundum argumentum dicendum quod illud confirmat nostrum, quia constat quod nullus debet diligere amicum plusquam seipsum; & ideo nullus debet eligere mori pro conservatione vitae amici, sed solum debet facere id quod pertinet ad rationem amicitiae. Et si ex hoc sequatur mors, non tamen sequitur ex electione, sed casualiter, nec solum exponit se homo licite periculis mortis pro defensione reipublicae, vel amici, sed etiam pro defensione bonorum suorum temporalium...'. (p. 766a).

²³⁰ Cf. nota 227.

culo cum aliqua spe vel cum spe periculum evadendi; aut etiam homo, proximi seu amici gratia, ita agere debet, ut non timeat propriam mortem.

5) P. Navarra iuxta Sporer²³¹ et Bassaeum²³² pro hac altera sententia facit in libro secundo *De restitutione*, et quidem cum argumentis non contemnendis. Sed quid tenuerit ipse Navarra, examinandum est textus eius. Is enim in loco citato, loquens expresse de quaestione et pariter prolixè,²³³ se exhibet sectatorem S. Bonaventurae imo S. Augustini tenendo partem negativam esse veriolem, quod et probat variis argumentis, praesertim ex S. Augustino et ex ipso ordine caritatis.²³⁴

6) P. Laymann allegatur pariter pro hac sententia ab eodem Sporer,²³⁵ asserens eum tenuisse ordinem caritatis exigere quemque ceteris paribus seipsum magis quam alterum diligere, nisi agatur de bono communi

²³¹ Cf. nota 182.

²³² E. Bassaeus, o. c., tom. I, p. 132a: 'Tota controversia est de vita, utrum liceat se exponere morti ad servandum amicum; nam D. Augustinus... dicit hoc excedere regulam sanae doctrinae: & sunt argumenta non contemnenda, quae probare videntur hoc esse illicitum: idque defendit P. Navarra'. Cf. tom. II, p. 374a.

²³³ Petrus A. Navarra, *De ablatorum restitutione in foro conscientiae* lib. II cap. III (Lugduni 1593, pp. 180-5).

²³⁴ P. Navarra, o. c., pp. 180-1: 'In hac re. Primo arbitramur licitum esse & excellentissimum religionis opus, vitam pro Deo eiusque fide ponere, quod, vt de fide certissimum esse debet de quo latius dub. 8... His suppositis verius nobis videtur, non esse licitum pro salute temporali hominis privati morti voluntarie se tradere. Ita docuisse videtur Bonavent. loco citato. Estque August. expressa sententia li. de Med. cap. 6, Vbi docet doctrinae regulam excedere, vitam temporalem perdere pro vita temporali alterius. Cui testimonio nihil respondet Sot. quamvis illud citavit. Forsan quis respondeat Aug. doctrinae regulam excedere dixisse, non quod sit contra rationem, sed quod supra. Sicut quodlibet aliud perfectionis opus posset dici rationis regulam excedere. Sed hoc nihil est, Ibi enim August. intendit hoc dicto probare non esse licitum mendacium hac ratione. Quia dare vitam temporalem pro temporali alterius, rationis regulam excedit, ergo / multo magis excedet dare aeternam pro temporali alterius. Si autem in antecedente loqueretur, de excessu perfectionis nihil colligeret vitij in eo, qui vitam aeternam commutare pro temporali alterius, sed potius colligeret esse opus egregiae perfectionis, esseque magis supra rationem; quod & falsum esse constat. & contra intentionem Augustini, loco citato. Verum ratione probo hanc sententiam. Primo supponendo, quod ordo caritatis non tantum est in consilio, sed in praecepto, saltem respectu eorum, quorum homo non est dominus, vt vitae spiritualis, & honoris necessarij, & c. Haec enim non sine prodigalitate perderentur, sine iusta & sufficienti causa. Cur enim in spiritualibus est in praecepto, & non in temporalibus? Item, quia illud praeceptum, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, absolute loquitur: illa autem particula *sicut*, vt omnes fatentur, non significat aequalitatem, sed proportionem. Ea ergo lege praecipitur homini, se & proximum diligere, & suam & proximi vitam conservare, & inter has dilectiones debeat esse ordo, manifestum est, quod non proximum, sed se plus diligere tenetur, & per consequens tenetur sibi maius bonum velle, quam proximo'.

²³⁵ Cf. nota 182.

praeferendo. Revera Laymann in *Theologia moralis* huic sententiae favit, etsi noverit ipse sententiam contrariam. Assertit enim ordinarie illicitum esse propriam vitam postponere vitae alterius, quia ordo caritatis sic exigit; quod dicit *ordinarie*, quia non tantum licitum sed interdum etiam necessarium est vitam propriam postponere, agendo de salute personae publicae vel de salute spirituali alterius praeponenda.²³⁶

4. *Ex philosophis*

Sicut respectu S. Scripturae, sic etiam respectu philosophorum nulla auctoritas explicite adducitur a patronis huius alterius sententiae, si excipias Pitigianis, qui auctoritatem Senecae revocat ex eius libro *De beneficiis*, in quo Philosophus tenet amorem erga proximum mensuram accipere ex amore erga se ipsum,²³⁷ quod revera comprobatur textu ipsius Senecae, ita ut merito afferatur pro hac altera sententia roboranda.²³⁸

II. ARGUMENTA RATIONIS

Patroni huius alterius sententiae suam thesim potissime probant argumentis rationis, quae tria allegari solent: parallelismus inter vitam spiritualem et corporalem; ipse ordo caritatis et praeceptum propriam vitam conservandi.

1. *Parallelismus inter vitam spiritualem et corporalem*

Hoc primum argumentum adductum ab Hermann in eo consistit quod ordo caritatis prohibet vitam proximi, ceteris paribus, propriae praeferre; nam, sicut illicitum est, ut omnes concedunt, vitam spiritualem periculo

²³⁶ P. Laymann, *Theologia moralis*, tom. I, p. 176a: '*Ordinarie licitum non est, vitam propriam postponere vitae alienae. Quia caeteris paribus quisque secundum Charitatis ordinem, magis propensus esse debet ad diligendum se, quam alterum. Nihilominus multi docent... Licitum atque laudabile esse, vitam suam certo periculo exponere pro seruando amico... Ordinarie id licitum non esse; Pro salute, & incolumitate personae publicae... bona temporalia relinquere, quin & propriam vitam periculo exponere, non tantum laudabile, sed interdum etiam necessarium est... Deinde ad impediendam spiritualem aeternam damnationem iniusti aggressoris... tolerare mortem propriam corporalem, abundantioris charitatis opus est*'.

²³⁷ F. Pitigianis, o. c., P. II, p. 318a: '*Et Seneca etiam lib. 2 de beneficiis, c. 15. Summa, inquit, amicitia est aequare sibi amicum. Sed utrique consulendum est. Dabo agenti, sed vt ipse non egeam; consulam perituro, sed vt ipse non peream*'.

²³⁸ L. A. Seneca, *Dei beneficii* lib. II cap. XV (Milano, s. d., p. 71): '*Non devemo far mai beneficio nessuno, ch'abbia a risultare in vergogna nostra: la maggiore amicitia, che sia è di farti l'amico eguale, et però devemo aver rispetto a l'uno, et a l'altro parimente. Io donarò bene a un mendico, ma di maniera, che non debba mendicare io. Soccorrerò uno, che ruini, o che si muoia, ma non però, che debba o ruinare io, o morire, se già non richiedesse il debito...'*

exponere pro vita spirituali, a fortiori pro vita corporali alterius, ita a pari corporalem pro corporali.²³⁹

Dicendum est tamen quod argumentum sic propositum ab Hermann vera, ut iudicat Herincx,²⁴⁰ nimis probat; ratio est quia vitam spirituales exponere nunquam licet, corporalem vero exponere nonnunquam licet. Nihilominus hoc argumentum vim probativam potest habere si id aliter proponatur, nempe si vita corporalis, non iam simpliciter, sed in relatione ad animam consideratur.²⁴¹

2. Ordo caritatis

Secundum argumentum ex ordine caritatis sumunt auctores huius alterius sententiae, asserentes imprimis ordinem caritatis exigere ut quisque, ceteris paribus, magis et prius se ipsum quam proximum diligat, ut ab omnibus admittitur,²⁴² insuperque dictare hoc esse non tantum de consilio, sed etiam de praecepto.²⁴³

Argumento sic proposito aliquomodo consentire videntur quidam adversarii, ut Bassaeus et Mastrius;²⁴⁴ alii vero nedum ei consentiunt, sed explicite obiciunt dicentes ordinem caritatis non necessario postulare ut homo semper se ipsum praeferat proximo seu amico,²⁴⁵ quia vita pertinet ad bona temporalia quae non sunt tam necessaria ut, quoad haec, idem ordo caritatis a se ipso incipiat, semper servetur.²⁴⁶

Ast videtur dicendum esse quod utique vita corporalis non est sic

²³⁹ A. Hermann, o. c., tom. II, p. 212a: 'Non est licitum effundere vitam spiritualem propriam pro vita spirituali proximi; ergo nec corporalem pro corporali...'

²⁴⁰ G. Herincx, o. c., P. III, p. 213a: 'Accedit ratio desumpta ex vita spirituali propria, quae non potest exponi pro aliena, seu postponi eidem. Sed haec ratio nimium probat...'

²⁴¹ Cf. nota 191.

²⁴² Cf. nota 182.

²⁴³ Sic explicite P. Sporer, o. c., tom. II, p. 161b (cf. nota 167). Hoc arguitur ex illo S. Thomae, *Summa theologiae* II-II q. XLIV a. VIII de praecepto caritatis (vol. II, p. 226b). Cf. etiam nota 234.

²⁴⁴ Cf. notae 29 et 30.

²⁴⁵ I. Azor, o. c., P. II, p. 702b sic inter alios ordinem caritatis explicat dicens: 'Ad ea veto, quae principio sunt obiecta, respondeo: Ad primum, praeferre quidem posse nos vitam nostram vitae amici; sed nihilominus etiam, posthabita vita nostra, amici vitam licite anteferre, nec in hoc charitatis ordinem laedi, ac violari, quia non postulat necessario charitas, ut vita nostra, amici vitae anteponatur.'

²⁴⁶ Cf. nota 21. — Ceterum H. — D. Noble, *L'ordre hiérarchique de la charité*, in *La Vie Spirituelle* 18 (1928) 321 loquitur etiam de altero sibi praeferendo, nondum tamen licite simpliciter, sed ex aliis obligationibus: '... Toutefois, certaines obligations de bien commun, de parenté, d'amitié, peuvent nous exciter à nous gêner davantage et même à encourir de notables désagréments pour aller au secours de quelqu'un que nous aimons ou dont nous avons la responsabilité...'

necessaria ut vita spiritualis, ideo, exigente necessitate, postponi potest bono superioris ordinis; sed, ceteris paribus, non apparet ratio cur propria vita postponatur vitae alterius.

3. *Praeceptum propriam vitam conservandi*²⁴⁷

Tertium argumentum rationis, quod saepissime sumitur ab Auctoribus huius alterius sententiae in hoc consistit quod homo, cum non sit dominus, sed administrator vitae suae sue corporis, obstrictus est ad eum, mediis permissis defendendam et conservandam; quod praeeptum per se gignit gravem obligationem ita ut excludat inter alia omne suicidium et expositionem periculo mortis; et per consequens homo, huiusmodi praeeptum negligens, vitam sibi auferendo vel sine sufficienti ratione periculo mortis exponendo,²⁴⁸ sine dubio peccatum committit.²⁴⁹

Attamen, ut patet, heic non de directo, sed de indirecto suicidio²⁵⁰ atque de sui expositione periculo mortis²⁵¹ sermo est. Ratio petitur quia suicidium directum nunquam licet, indirectum vero et sui expositio periculo quandoque licita sunt, praesertim si fiant ex causa gravi et rationabili.²⁵²

Iamvero quaerunt auctores quibusnam in circumstantiis licitum sit suicidium indirectum, ut aiunt, et vitae expositio, manente semper inconcusso illo principio quod homo debet propriam vitam conservare; et quomodo explicetur illud quod homo non est dominus vitae suae. Aliis verbis: quod homo cum non habeat dominium in propriam vitam seu cor-

²⁴⁷ Quoad naturam huius praeepti cf. ex.gr. I. De Lugo, *Disputationes scholasticae et morales*, tom. VI, Parisiis 1893, p. 56a-b.

²⁴⁸ Ita inter ceteros H. Jone OFM Cap, *Katholische Moralthologie* (Paderborn 1953) p. 172 pro indirecto suicidio expresse requirit causam *gravem*: 'Indirekt sich töten ist an sich verboten; kann aber aus einem entsprechend schwerwiegenden Grunde erlaubt sein' et p. 173 pro sui expositione rationem *sufficientem* petit: 'Sich einer Lebensgefahr aussetzen ist nur aus einem hinreichenden Grunde gestattet'.

²⁴⁹ Sic. F. Cuniliati, *Universae theologiae moralis complexio*, tom. I, p. 236: 'In quavis necessitate temporali aequali, non tenetur homo subvenire potius alteri privatae personae, quam sibi ipsi, immo nec debet; nisi occurrat motivum alterius virtutis. Nam docemur a Christo diligere proximum sicut nos ipsos, non plus quam nos ipsos... Si enim id agerem ob solum motivum vitae proximi, absque ullo motivo virtutis, graviter peccarem; quia in re gravi delinquerem contra ordinem caritatis'.

²⁵⁰ Cf. G.B. Guzzetti, *Problemi del quinto comandamento*, in *La Scuola Cattolica* 86 (1958) 161-85, 241-63.

²⁵¹ Cf. L. Bender, *Vitam vel incolumitatem periculo exponere* in *Periodica de re morali canonica liturgica* 46 (1957) 429-36; G. Migliori, *Suicidi di comandanti in Cento problemi di coscienza* (Assisi 1958), pp. 370-1.

²⁵² Cf. L. Bender, 'Ius in vita' in *Angelicum* 30 (1953) 57-8; F.M. Cappello, *SI, De suicidio*, in *Casus conscientiae*, P.I, pp. 447-50.

pus, ex qua ratione pro vita alterius propriam periculo mortis licite exponat aut eam indirecte in morte inducat. Difficultas consistit in explicando quod, ex una parte, huiusmodi actus saepissime ut honesti habentur et laudantur²⁵³ et, ex alia parte, homo dominium in propriam vitam non habet.²⁵⁴

Quaestio iuxta nostros Auctores, faciliter invenit solutionem, nempe aut quia revera in casibus allatis bonum inferioris ordinis exponitur pro bono superioris ordinis, aut quia persona privata pro persona maiori iuri obstricta vel, in casu urgentiori, puta in necessitate spirituali constituta, se periculo exponit.²⁵⁵

Alii vero theologi illud dominium explicare conantur. Aliqui affirmant utique hominem non esse dominum vitae suae, sed non propter hoc ei nullam potestatem competere in propriam vitam; unde, aiunt, utique ei competit *aliquod* dominium, quatenus, saltem aliquando ex iusta et rationabili causa vitam propter alterum exponere possit seu eam non conservet.²⁵⁶ Quid sibi vult hoc 'aliquod dominium', neque ipsi id definire poterant aut volebant, unde id in omni casu non discederet a notione dominii, quod homo in vitam suam non habet.

Alii difficultatem quidem ponunt, sed eam non explicant.²⁵⁷

Moderni, occasione Patris Kolbe arrepta, difficultatem solvere conantur per viam administrationis in vitam. Nam, si difficulter explicetur huiusmodi liceitas per viam dominii, videtur tamen satis sufficienter explicari per viam administrationis, qua homo talem potitur potestatem in propriam vitam ut eam possit custodire, defendere imo et tractare secundum necessitates, salva tamen eius substantia. Revera homo a Deo accepit potestatem vita utendi aut non utendi secundum necessitates, salva semper eius substantia, nempe quod haec potestas non debet

²⁵³ P. Bongiovanni, *l.c.*, p. 697: 'Citiamo a mo' d'esempio alcuni fatti ammessi da tutti come eroici sacrifici. La cessione ad un altro del paracaduto quando l'apparecchio sta per essere divorato dalle fiamme; sostituirsi ad un padre di famiglia che sta per essere fucilato; due alpinisti stanno per sfracellarsi entrambi, se quello sospeso nel vuoto non si distacca: questi taglia la corda e si sfracella sul fondo, mentre il compagno si salva ecc.'

²⁵⁴ Cf. G. B. Guzzetti, *ib.*

²⁵⁵ Sic explicite P. Sporer (cf. nota 182).

²⁵⁶ Inter alios F. Vitoria (cf. nota 124) et G. Sayer (cf. nota 144). Cf. etiam I. D'Annibale, *Summula theologiae moralis*, P. II, p. 61-3.

²⁵⁷ Sic F. Suarez, *l.c.*, p. 712b: 'Difficultas ergo est praecipue in vita conservanda, cujus homo non est dominus, et de hoc probatur conclusio; quia potest homo se exponere periculo moraliter probabili corporalis mortis, ut subveniat proximo; ergo licitum erit illam velle, cum in moralibus pro eodem reputentur periculum et res ipsa'. Ceterum F. Sylvius, *Commentarii in totam secundam secundae S. Thomae Aquinatis*, tom. III, pp. 126b-127b dicit quod in hoc casu Deus permittit ut homo agat propter virtutem.

esse sic ampla ut, etiam postulante necessitate, vitam destruere possit. Nihilominus casus explicari debent, videlicet qualem potestatem exercuit P. Kolbe in propria vitam, quando pro altero voluntarie intrabat locum subterraneum mortis; certe non mere administrativam, quia sic absolute disponebat de propria vita; ergo aliquantulum ea ampliorem, quae, si realiter non constaret, saltem rationabiliter supponi posset ea concessa vel concedenda in casibus exceptionalibus, ubi illa amplior potestas per viam ordinariam obtineri nequit.²⁵⁸

Haec explicatio non bene satisfacit, quia non esse necessaria, imo et difficultatem magis involvere videtur. Nam, ex una parte patet nobis non competere nisi mere administrativam potestatem in nostram vitam, eo quod Deus habet dominium absolutum in eam; ex alia vero parte nostra potestas in vitam realiter maior et amplior supponi nequit nisi constet. Unde thesis huius alterius sententiae sic confirmari videtur hoc ultimo argumento, ut contra eam ex hoc capite, nondum appareat obiectio omnino valida.

* * * * *

Quaestione in exitum perducta, liceat heic aliquas observationes prae oculis habere.

Imprimis duplicem sententiam, uti iacet in nostris Auctoribus, breviter sed attente exposuimus et explicavimus, atque pro ea varia argumenta examinavimus. Tum circa sententiam cum circa argumenta in decursu nostri tractatus aliquod iudicium sobrie tulimus, etsi quandoque, prae

²⁵⁸ J. Pereda, *La mutilación y el trasplante de órganos*, in *Estudios de Deusto*, 2(1954) 483: 'Se debe notar también que es muy distinto el caso del administrador cuando no se puede consultar al propietario y en estas circunstancias, sin duda, que sus poderes han de ser mayores, reales o racionalmente supuestos...'; p. 494: 'Pues bien; los moralistas, mientras no vean actos positivos de destrucción directa, querida como tal, abren amplisimamente la mano y conceden, sin duda con pleno acierto, el poder permitir aun la destrucción completa de la cosa administrada, por razones más o menos altruistas: no están acordes, ni es fácil estarlo, en cuándo el acto es de destrucción directa...'; p. 495: 'Hemos dicho también que no están acordes, ni mucho menos, en cuándo el acto es de destrucción directa y no hay armonía ni aun en los casos indicados. Así, v.g. Henno F... ya llama suicida al que da el único pan que tiene para que el otro no muera de hambre, mientras que Lesio lo justifica porque llena un deber de caridad con el prójimo...' et p. 496: 'Si somos meros administradores de nuestra vida, es laudable ese acto por el que dispone de ella en forma tan absoluta? Si es laudable, como lo es, no prueba claramente que hay ciertas reglas superiores, que pueden ampliar en grado sumo el poder sobre nuestra vida y miembros? A qué queda reducido el concepto de administrador? Y hasta qué punto se puede decir que ese acto del P. Kolbe es meramente permisivo de la muerte, cuando entra positivamente en el subterráneo fatal, cuya puerta sólo se ha de abrir para sacar los cadáveres?'

difficultatis mole, mentem ancipitem monstraverimus.

Dein, hoc non obstante, censemus alicuius adhuc momenti esse circa interpretationem theologorum nonnihil pro maiori claritate declarare, nempe quando loquuntur de nostra quaestione, saepissime inter se discrepant non solum ob rationes quas tum pro sententia vitam alterius propriae praeferre permittente, cum pro ei contraria consideravimus, sed etiam, probabiliter, ob rationem qua res aliena iuxta alios, non obstante propria extrema necessitate, domino restituenda est;²⁵⁹ iuxta alios vero hoc in caus nulla obligatio foret eam restituendi, cum in necessitate melior sit conditio possidentis.²⁵⁹

Quaestio certe est difficilis, quia utraque sententia bonis fulcitur argumentis, proinde eam solvere minime intendimus, nihilo tamen minus eam heic volumus notare, quia divergentia sententiarum ex hoc capite bene etiam explicari potest.

Alia adhuc videtur esse ratio, cur Auctores diversimode de nostra quaestione sentiunt, nempe, agendo de tabula salvationis, alii affirmant solum licere eam alteri *relinquere*, id est, sese negative gerendo, non eam accipiendo, minime vero eam dare;²⁶¹ alii e contra tenent licere etiam alteri eam *dare*.²⁵³

Haec dissensio utique orta est imprimis inter ipsos auctores vitam alterius propriae praeferre permittentes, ut Soto, Azor aliique; sed ceteri auctores, probabiliter non distinguentes vel nolentes distinctionem facere inter 'tabulam relinquere' et 'eam dare', terminum aliquomodo genericum vel etiam ambiguum adhibendo, ut 'tabulam cedere, permittere aut eam relinquere', in duas sententias abierunt, quorum alii adhuc affirmant,²⁵³ alii autem id negant.²⁵⁴

²⁵⁹ Cf. nota 226.

²⁶⁰ Sic P. Laymann, o. c., tom. I, p. 245b inter ceteros arguit contra Scotum dicens: '... excipitur tamen semper necessitas extrema, quippe in qua melior est possidentis, seu manu tenentis conditio, licet aliter sensisse videatur Scotus in 4 d. 15 q. 2 a. 4 in resp. ad argum.^o, Paulo aliter asserit I. Pistoni, *De causis eximentibus a restitutione, in casus conscientiae* (Torino 1958) P. I, pp. 512-3.

²⁶¹ Sic expresse tenent inter alios D. Soto, o. c., p. 296: 'Respondetur ergo quod antequam tabulam filius capiat, potest illam relinquere patri, quia non hoc est positive se occidere, sed permittere se mori: postquam vero eidem insidet, re vera non apparet licitum esse ut se in fluctus deiciat'. Soto sequitur noster Rodriguez (cf. nota 126).

²⁵² Ita inter alios I. Azor (cf. nota 137). Vid. etiam T. Tamburini o. c., lib. VI cap. I §. 1, ubi asserit quod in naufragio possum patri cedere tabulam ex motivo *pietatis*, etiam a me occupatam, imo illam ipsi *tradere*, mea vita neglecta et affirmat hanc sententiam esse communem cum I. Sanchez disp. 10 n. 9 vers. fin. (tom. I, p. 168a-b).

²⁶³ Sic nostri Auctores pro prima sententia allegati, ut Rodriguez (cf. nota 22), Bassaeus (o. c., tom. II, p. 374a) et Sannig (cf. nota 25). Similiter alii auctores, ut Ae. Berardi, o. c., vol. II, p. 51: 'Licitum esse... in communi naufragio tabu-

Tandem quod attinet ad auctoritatem S. Bonaventurae et Scoti, qui pro hac altera sententia ab auctoribus adducuntur, dicimus quod ipsi in illis locis probabiliter volebant ut caritas erga alterum non sic facile destruat propriam caritatem, eo quod vita sit fundamentum operationum supernaturalium, sed ut manente hoc fundamento, omnia prorsus proximo procuraret; ceterum ambo praecise loquuntur de obligatione se ipsum diligendi et alteri praeferendi, minime vero ex professo de liceitate propriam vitam corporalem alterius postponendi. Unde nondum apparet contradictio cum illo quod in introductione alludimus, nempe quod schola franciscana sequi videtur conceptionem ecstasticam vel moralem.²⁶⁵ Et enim caritas non tantum corporalem sospitatem, verum etiam salutem aeternam, nempe omnia, proximo desiderat,²⁶⁶ ita ut ex sola ratione caritatis, sic opinamus, subiectum diligens maxime liberalitate gaudeat et in societate dilecti delectetur; sed, cum in via caritas sit intime unita cum virtute spei, patet caritatem haec minime agere ex sola propria ratione; sicque spes hominem potius ad agendum ex tendentia egocentrica, dum autem caritas maxime ad agendum ex tendentia altruistica inclinatur.

CONCLUSIO

Doctrina Auctorum nostrorum exposita, probata atque crisi subiecta, remanet ut in conclusione conspectum problematis praebeamus.

Iuxta imprimis meminisse illam duplicem sententiam in duobus capitibus expositam, nempe unam permittentem vitam alterius propriae praeferre, pro qua militare vidimus argumenta non contemnenda, et alteram

iam socio cedere'; noster L. Ferraris, o. c., v. Homicidia (tom. IV p. 136a): 'Licere... in naufragio tabulam cedere amico naufraganti' et R. Sasserath, *Cursus theologiae moralis*, vol. II, p. 71: '... potes in naufragio alteri permittere tabulam, qua te salvares'.

²⁶⁴ Ita intelligendi sunt Auctores alterius sententiae, ut explicite asserit P. Sporer, o. c., tom. II, p. 162a tenens ceteris paribus quilibet propriam vitam praeferre debet vitae alterius, quam tamen per accidens potest praeferre, ut ex motivo pietatis.

²⁶⁵ Cf. ibi notae 17 et 18.

²⁶⁶ S. Bonaventura, *De sex alis Seraphim* c. II (8, 133b-134a): 'Quarti sunt optimi, qui cum prioribus bonis innocentiae et virtutum zelo iustitiae et animarum calent, qui non recipiunt consolationem de propriae salutis profectibus, nisi alios secum trahat ad Deum, exemplo Domini, qui, cum in se plenum semper habeat gaudium, non contentus gloriam solus habere, exivit, assumpta forma servi, multos filios in gloriam secum adducere opere et doctrina... Amor proximi desiderat non tantum eius corporalem sospitatem et temporalem prosperitatem, sed magis eius aeternam salutem. Ubi ergo caritas ista perfectior, ibi ferventius desiderium ista promovendi et instantius / studium et purius gaudium, ubi haec invenit...'

id prohibentem, pro qua similiter aderant bonae rationes. Quod vero atinet ad censuram dicimus quod prima sententia, ob numerum auctorum et abundantiam argumentorum, valde probabilis dicenda est; sed neque altera sententia ob penuriam auctorum atque argumentorum, utique gravium, minus probabilis appellari debet.

Ast, suntne revera contrariae hae duae sententiae? videntur nondum sibi contradicere; ex quonam vero capite auctores discrepant inter se, liceat heic aliquid insinuare.

Iamvero auctores rem tangere poterant sub diversa ratione. Etenim illi, qui permittunt vitam alterius propriae praeferre, generatim non adhibent terminum 'ceteris paribus', etsi aliquando id insinuent; dum autem auctores vitam alterius propriae praeferre prohibentes id semper ponunt. Unde prima sententia, tendens ad amorem altruisticum, resultat magis practica et pia, eo quod Auctores optime poterant intelligere praecise de vita alterius, sed non necessario exclusive, vel etsi agant etiam de re, ceteris paribus, practice tamen facile poterant motiva proximum sibi praeferendi invenire, ita ut homo, semper suppositis supponendis, agere queat in favorem alterius, quin nimis illud 'ceteris paribus' attendat; e contra sententia prohibens vitam alterius propriae praeferre, tendens ad propriam seu egocentricam dilectionem, videtur esse magis theorica et minus pia, eo quod ordinem valorum, iuxta illud, quod est proprium et illud quod est alienum absolute statuit, ita ut, ceteris paribus, haberi non possit ratio cur proximum nobis praeferamus.

Alia adhuc est ratio cur Auctores inter se discrepant, nempe difficultas in determinanda causa rationabili, quatenus licitum sit vitam alterius propriae praeferre; quoad hoc punctum adest forsitan maior confusio, quae notari potuit in decursu nostrae dissertationis, praesertim relate ad sententiam vitam alterius propriae praeferre permittentem; nam si non apparet ratio cur, ceteris paribus, vita corporalis alterius propriae licite praeferatur, via tamen aperitur ampla ad quaestionem aliter explicandam ex consideratione causae rationabilis.

Statim pro causa rationabili admittuntur ab omnibus bonum publicum, bonum spirituale proximi et bonum tertii; sed revera dicendum est heic non amplius agi de re, ceteris paribus. Similiter facile admittuntur aliae virtutes, ut fidelitas, pietas, caritas heroica, religio ceteraque huiusmodi. Difficultas tantum adest respectu amicitiae et virtutis seu perfectionis virtutis: quae difficultas solvi videtur, si bene determinetur ambitus seu comprehensio amicitiae vel virtutis; scilicet si hae ita considerantur ut minime solae vel exclusive intelligantur, tunc sententia ordinem caritatis vitam alterius propriae praeferre permittens, secus vero, sententia id prohibens, obtinet.

Ultima ratio qua Auctores in duas vias abierunt, videtur esse deter-

minatio medii liciti a medio illicito. Haec difficilem reddit quaestionem, praesertim pro auctoribus vitam alterius propriae praeferre permittentibus. Etenim inter hos alii censent medium illicitum esse, mortem vel periculum mortis certe et immediate, non vero probabiliter et mediate, adire, alii vero, forsitan ob utilitatem practicam, hanc distinctionem negligunt; dum autem pro auctoribus vitam alterius propriae praeferre prohibentibus, sufficit ut periculum mortis adire, ceteris omnino paribus, tanquam medium illicitum habeatur.

Unde liceat hoc affirmari: ceteris omnino paribus, illicitum esse vitam alterius propriae praeferre. Sic intelligendi sunt Auctores sententiae prohibentis; Auctores vero sententiae permittentis explicari possunt et debent. Etenim isti procul dubio in mente concipere poterant actum honestum in vita alterius propriae praeferenda, quia, urgente necessitate, homo, propriam vitam pro vita proximi sacrificando, videt revera in proximo non solum illud bonum corporale, quod est vita corporalis, — intelligendo semper de vita temporali inter personas privatas, vel inter aequales —, verum etiam aliud bonum, quod est supernaturale, seu supernaturaliter consequendum, sicque, sibi acquirendo meritum, ipse adhuc dicitur se ipsum magis diligere quam proximum; aut in ipsa vita proximi homo videt aliud bonum spirituale praeferendum, quod ita superat bonum propriae vitae corporalis, ut res nequeat dici amplius ceteris paribus.

Ceterum quoad theologos et auctores antiquiores in genere liceat observare, quod cum loquantur de proximo diligendo vel de propria salute procuranda aut de vita exponenda pro amico, semper in communi disserunt, non distinguendo de vita corporali aut spiritali, sive propria sive proximi. Unde quando dicunt salutem propriam esse praeferendam proximi, optime intelligere possunt de salute spiritali, vel etiam quando loquantur de salute corporali, id tamen possunt intelligere non exclusive. Similiter quando asserunt hominem debere propriam vitam ponere pro salute proximi. Hoc admissio, via aperitur, uti nobis videtur, ad fructuose interpretandam sacram Scripturam et traditionem.

B. TUNG, O.F.M.